



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Petr. Paul. Andreas, Dionysia, MM, 15. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

mina, quæ sic excarnificatum felicem tamen beatumque ausa dicere digna Deo visa est, quæ non agones tantum illius, sed præmia etiam aspiceret. Annum conjugii alterum, vitæ decimum sextum agebat, quo propius miraculo fuit non trepidasse, cum bina palmarum cacumina ad terram ingenti depressa nisu cerneret, quæ à se invicem iterū distracta medium distraherent. Alligari tamen se sustinuit, & lacerato corpore, integrū animū cælo intulit. VICTOR gladio cæsus eam secutus est: sic olim ad astra itum. Nunc coronæ vilius veneunt. Nullę nos palmę distractahunt; animū à mūdo avelle, Coronam spondeo, & Victore appellabo. Ex S. M.

*Mundo se extraneum homo reddat, ut Deo propensis  
ris gratiæ largitate familiaris adhæreat. Mundo mor-  
tuus vivat, à terrenis vexationibus se subtrahat, &  
velut in sepulchro jam positus in solo Creatoris sui des-  
derio suaviter requiescat. S.Pet.Dam.op.12.c.32.*

SS. PETR. PAUL. ANDREAS, DIONYSIA,  
MM. 15.Maii.

**I**Terum triumphantem adolescentiam damus, ne quis magnam virtutem annis metiatur. Imperante Decio, Lampsaci, in ipsâ turpitudinis patriâ, PETRVS adolescens adorare Venerem iussus; ego illam, inquit, cujus vita perpetuum probrum fuit? quæ ex lupâ facta Dea est, neque aliâ gratiâ templis à vobis recepta est, quam quod omnium mortalium inverecundissimè peccârit? Hujus dæti libertatem PETRVS in rotâ jussus luere, omnibus confractis ossibus, nec vultum nec animum mutavit; donec gladio ejus patientia finita est. Troadem deinde properanti Proconsuli Nicomachus, audacior quam fortior, suam in Christum fidem

fidem jactavit, sed sublimis abreptus tormēta non  
tulit, turpisq; transfuga, ejurato Christo, vix horu-  
lam supervixit, quā in rabiem actus commansam  
dentibus linguam cum infelici animā evomuit.  
Ejus casum miserata DIONYSIA, sedecim annos  
nata, illico ad quæstionē, deinde ad lupanar abri-  
pitur: sed eam ANDREAS & PAVLVS adolescentes  
Christiani, & utroq; fortior cælestis genius multā  
circumfusus luce, à vi tutati sunt; illis postridie la-  
pidum jactu obrutis, invidit DIONYSIA tam sua-  
vem sub hâc grandine mortem, inque medium se  
procellam inferens, suosque amplexa servatores,  
popularis insaniae reliquias exhausit. Vixit tamen  
etiam cùm detonhisset, & ultimum gladio spiri-  
tum impendit. Sed nimirum saxa & sanguinem  
loquimur: Beatuli nostri ire ad cælum viâ lacteâ,  
& calcare rosas volunr. Ex Surio.

*Noli vita hujus felicitatem pravis hominibus invi-  
dere, sed condole: Imò quia ipsi non dolent, potius inge-  
misce: Qui nimirum velut bruta animalia ad macel-  
lum edendo properant, & ad gladium lasciviendo festi-  
nant.* S.Pet.Dam.lib.8.ep.6.

## S. D Y M P N A V. M. 15. Maii.

**N**isi frontem unà cum oculis amisit improbus  
amor, erubescet ad infamiam facinoris, quod  
ipso auctore, sub annum sexcentesimum gestum  
est. Regebat eo tempore Hibernos rex barbarus,  
nullâ re nisi amore odioque filiæ nobilis. Vidua-  
tus conjugè filiam in thorum pellexit, eâ quidem  
formâ, cui comparari eo ævo nulla poterat, sed iis  
moribus, ut non modò incestos amores abomina-  
retur; sed præter Deum nubere omnino nemini in  
animum induceret. Vim tamen verita ab insano